

**Dissertatione sollemni medica observationes quasdam ad cicutaе,
mercurii sublimati, et phosphori usum internum pertinentes ... / exhibit
auctor Georgius Henricus Hudemann.**

Contributors

Hudemann, Georg Heinrich.
Hartmann, Peter Immanuel, 1727-1791.
Universität Helmstedt.

Publication/Creation

Helmstadii : E typographeo viduae Schnorrianae, [1763]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/aa5bg45g>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

L XIII 29573/p

DISSERTATIONE SOLLEMNI MEDICA
OBSERVATIONES QVASDAM

AD

CICVTAE,
MERCVRII SVBLIMATI,
ET PHOSPHORI
VSVM INTERNVM PERTINENTES,

DIVINIS AVSPICIIIS,
ORDINISQVE MEDICI CONSENSV,
PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,
DOCTISSIMOQVE

PETRO IMMANVELE
HARTMANNO,

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE, MEDICINAE
THEORETICAE, CHEMIAE, ET MATERIAE MEDICAE
PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, ACADEMIARVMQVE
CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM, ET ELECTORALIS
MOGVNTINO-ERFVRTENSIS SCIENTIARVM VTILIVM, NEC NON
SOCIETATIS DVCAE TEVTONICAE HELMSTADIENSIS
SODALE.

D. XXVI. SEPTEMBRIS, A. R. S. c1o1oCCLXIII

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE MEDICIS HONORIBVS OBTINENDIS
IN IVLEO MAGNO

PVBLICAE DISCEPTATIONI EXHIBET

AVCTOR

GEORGIVS HENRICVS HVDEMANN,

HENNSTADIO-DITHMARSVS.

HELMSTADII

E TYPOGRAPHEO VIDVAE SCHNOKRIANAE, ACAD. TYFOGR.



VIRO

EXCELLENTISSIMO CONSVLTISSIMOQVE,

LVDOVICO FRIDERICO
HVDEMANNO,

IVRIS VTRIVSQUE DOCTORI

ET SOCIETATVM REGIARVM TEVTONICARVM

LIPSIENSIS, GOETTINGENSIS ATQVE

GRYPHISWALDENSIS

SODALI,

PARENTI SVO BENIGNISSIMO

INDVLGENTISSIMOQVE,

IN

PIETATIS GRATISSIMIQUE ANIMI
TESSERAM,

OB

INNVMERA BENEFICIA

ATQUE

IMMORTALIA IN SE MERITA,


QVIBVS

AETERNVM SE DEVINCTVM DECLARAT,

SPECIMEN HOC ACADEMICVM

SACRVM ESSE VULT

FILIVS OBSEQVENTISSIMVS.



OBSERVATIONVM QVARVNDAM
A D
CICVTAE, MERCVRII SVBLIMATI,
ET PHOSPHORI
VSVM INTERNVM PERTINENTIVM
FASCICVLVS.

Π Ρ Ο Ο Ι Μ Ι Ο Ν .



et us iam latinissimi inter medicos
scriptoris, CORNELII CELSI, a)
est monitum: *A certis et exploratis
petendum esse praesidium; id est, his,
quae experientia in ipsis curationibus*

A 2

docu-

a) In Praefatione Libr. I. pag. 8. editionis Lugduno-Batauae recentissimae.

docuerit, sicut in ceteris omnibus artibus. Verum enim vero, ut est hominum ingenium saepenumero socordia atque incultu torpidum, medicorum plurimi auream hanc regulam neglexerunt, aut in contrariam acceperunt partem, et dum quotidiana tantummodo communique peruulgata usu sectati sunt, selectiora reliqua et vel hoc nomine infrequentiora obsolescere et deleri fere obliuione fuerunt, quamuis ad sanitatem haud mediocriter conferrent. Periisse sic constat plurimas veterum medicorum artes: adeo, ut, verbi causa, medicinae gymnasticae, elleborifinorum, scarificationis oculariae, plurimorumque remedium efficacissimorum, quorum apud antiquos medicos magna erat celebritas, hodie vix audiatur nomen. Ea vero nostrorum temporum est felicitas, ut sint passim inter artis salutaris cultores, qui non solum ea, quorum frequens atque commendatus apud veteres fuit in medicina usus, in lucem frequentationemque reuocarunt, verum etiam alia nondum cognita atrocissimisque morbis depellendis idonea remedia solerti curiosaque indagatione in usum protraxerunt, et creberrima experientia, ad **CELSI** **MONITUM**, per felices innumerabilium curationum euen-

euentus certissima atque exploratissima effecerunt. Hospitem plane in re medica esse oportet, qui non nouerit, suo omnino iure inferenda esse selectae huic medicamentorum classi, quae internis hominum vsibus inferuire potest, *mercurium sublimatum corrosiuum*, perillustris Archiatrorum Caesareorum Comitum, *Gerardi L. B. de SWIETEN*, commendatione inprimis celebrem; *cicutam*, illustris Archiatri Caesarei, medicique apud Vindobonenses longe clarissimi, *Antonii STÖRCKII*, primum, et dein plurimorum in medicina facienda exercitatissimorum viroborum obseruationibus felicissimisq; curationibus commendatissimam; et *phosphorum* denique *urina-rium*, iam pridem quidem subinde medicamentario apparatusi adscriptum, *Christiani MENZII* vero, viri clarissimi medicique Longosalsensis felicissimi, aliorumq; medicorum experimentis luculentissime probatum confirmatumq;. Quae singula remedia cum ab OPTIMO quoque PRAECEPTORE meo, huiusq; dissertationis PRAESIDE EXCELLENTISSIMO, ex aliquot iam annis, sicubi grauiores quidam rebellesq; morbi ipsius curae essent commissi, haud infructuose in vsum vocata nossem, haud in-
gra-

gratam atque inutilem medentibus materiam pertrahaturus mihi visus sum, si, dum sollemne profectuum meorum in salutari arte adquiretorum specimen meditor, collectas super his remediis observationes et ab **ILLVSTRI PRAESIDE** mecum ingenue atque ad veritatem accommodate communicatas, bona illius venia, publici facerem iuris, effectuumque, ex modo dictorum medicamentorum usu animaduersorum, rationes breuiter et, quoad eius facere possum, accurate eruerem indagaremque. Quibus meis conatibus vt nec diuinum auxilium, nec beneuolorum lectorum adensus desit, enixe vehementerque rogo atque obtestor.

**SECTIO PRIMA,
CIRCA CICTVAE VSVM OBSERVATA
COMPLECTENS.**

§. I.

Agmen ergo horum medicamentorum suo merito ducat nobilissimum *Störckianum* remedium, **CICTVA**: cum non solum hodie in omnium medicorum ore quotidie versetur, et in his quoque terris lon-

longe lateque vsu tractetur, verum etiam nunc, vti nulla est sine inuidia virtus, grauissimis et plane ingloriis controuersis (1) acerbissime disceptetur. Non id nobis sumemus auctoritatis, vt tantas tamque feroces componere audeamus lites, sed illud tantummodo dabimus studii, vt, anteaquam ipsas OPTIMI PRAECEPTORIS nostri obseruationes ingenue et sine omni partium studio recenseamus, cautionibus quibusdam admodum necessariis instruamus lectores, iisdemque nos simul ab iniquis forte interpretationibus eorum, quae de cicuta disputabimus, in antecessum vindicemus.

§. II.

Primo igitur cicuta, tanquam medicamento, vsurus probe attendat, ne, vt haud pauci pessime hoc nomine errarunt (2), nostram cum aliis cicutariis, vel magis

(1) Nemo tamen omnium, qui in STÖRCKIUM magno clamore manifestoque carpendi pruritu impetum fecerunt, peius rem egit suam Joanne ANDREE, medico Anglo, in *Observations upon a treatise of the virtues of hemlock in the cure of cancers*, Londini nuper admodum editis. Huic enim ad aurem insusurret CELSVS noster in Praefatione, pag. 16. edit. citatae: *Non sequi, vt, quod alium non afficit, aut*

eundem alias, id ne alteri quidem, aut eidem tempore alio noceat.

(2) Videtis graues super his erroribus querelas in ipsius illustris STÖRCKII *Libello secundo de cicuta* pag. 1. seqq, et in *Supplemento de cicuta* pag. 7. et illustris CRANTZII *Materia medica et chirurgica*, Tom. III. pag. 44. seq. itemque excellentissimi QVARINI *Tentaminibus de cicuta*, pag. 6. seq. singulis libris editionis Vindobonensis.

gis virosis, vel inefficacioribus, temere confundat. Nos, ad praecepta *Störckiana* curate attenti, *cicutam maiorem vulgarem*, quam LINNAEVS, ROYENIVS, aliique *conium* caule maculato, femine subglobofo, quinquestriato, vtrimque crenato, appellant, cuiusque imaginem aere exacte expressam dedit clarissimus STÖRCKIVS (3), in experimentorum nostrorum vsus adsumsimus. Deinde, ne qua vlla errori fraudique daretur ansa, ipse PRAESES exquisita cum circumspeditione ex huius herbae, anteaquam flores ageret, succo recentissime expresso in vase fictili vitreato, lentissimo igne, prorsus ad easdem, quas STÖRCKIVS praescripsit (4), leges sibi paravit hoc extractum: quippe quod praecipue exhibuit aegrotis (5). Ex hoc vel confectae sunt pilulae, ad mentem STÖRCKII puluere foliorum cicutae siccatorum interpolatae et argento obductae (6), pro nostrarum vero regionum more vnus tantummodo grani pondus aequantes, vel diuersorum menstruorum ope parata sunt elixiria, quorum deinde suo loco facturi sumus mentionem. Cuius interni vsus efficacitatem adiuuit interdum PRAESES tam
inter-

(3) In modo allegato *Supplemento* in fine.

(4) In *Libello primo de cicuta* pag. 7. et II. et *Libello secundo*, pag. 2. seq. et in *Supplemento*, pag. 9.

(5) Variis enim ex locis quod

mitti sibi euraerat PRAESES, ambiguae virtutis extractum fuit, nec iis characteribus omnibus praeditum, qui a STÖRCKIO describuntur.

(6) Confer citatum *Libellum primum* pag. II.

internis aliis idoneis remediis, quam externis, ex ipsa cicuta deductis, verbi gratia, cataplasmate et emplastro de cicuta. Tandem quoque sub curationis initium a minori semper duorum triumve granorum pondere coepit hanc dare medicinam PRAESES, sensimque ad duorum scrupulorum pondus adscendit, per vices scilicet in die datum.

§. III.

Hoc omni igitur cautionis genere adhibito (§. II.) varios admodum rebelles morbos, qui aliorum, licet ceteroquin efficacissimorum medicamentorum, vim eludebant, cicuta sustulit PRAESES, neque vnquam vel vllam minimamue noxam, cum ipsius curationis tempore, tum postea, in aegrotos exinde redundare vidit. Ex quibus ergo variarum curationum exemplis selectum sequentem fasciculum accipite, lectores. Iuvenis rusticus, viginti duorum annorum, temperiem cholericam sanguineam nactus, habitus corporis paullo strictioris, anno c1o1oCCLIX, media aestate, dum exercitum Borussicum adit, frumentoque iuvat, cum castrensibus scortis volutatur, et merita exinde

Nocturni referens vulnera praelii,

in pessimae notae gonorrhoeam, vlceribus penis malignis stipatam, incidit. Cui inglorio malo depellendo opem, haud bona fortuna, chirurgi cuiusdam castrensis implorat; qui, temerario, vt fit, consilio, per remedia varia adstringentia, tam extrinsecus admota, quam interne

data, anxium vice supellectilis suae virilis aegrotum mox molesto profluvio liberat, sanumque declarat. Vix vero domum redux grauissime intumescere sibi sensit finistrum testiculum cum insigni huius partis incendio et dolore fere intolerabili, adeo, vt inde febris satis acuta iactaretur, et interdum deliraret. Accitus vicini oppidi chirurgus, sanguine ex vena secta detracto, interne ter in die sumendam exhibet mixturam, quam medici vocant, simplicem et decoctum quoddam lignorum superbibi iubet; extrinsecus vero, nescio quae, fomenta adstringentia (7) dolenti admouet parti. Fractus exinde mox cessit dolor, visumque tolli incendium: sed tumoris loco orta est eiusdem testiculi maxima durities scirrhusa, quasi lapidea; quae ab initio neglecta, quod parum doleret, sensim non solum testiculi, verum etiam vniuersi funiculi spermatici, acerbissimum denuo incussit dolorem. Tum demum, per semestre fere, a variis chirurgis medicisque proletariis iniecta sunt varia linimenta, emplastra, malagmata, fomenta, et quid non? sed omnia adeo incassum, vt scirrhus, aliquando a dolore vindicatus, eundem non solum reciperet recrudescentem, sed semper etiam acerbio- rem. His in angustiis tandem PRAESIDIS nostri imploravit opem: qui, ad aegrotum accedens, adfectum

testem

(7) Portio quaedam horum superstes, acetum quoddam sa-
medicamentorum, in vitro forte turninum prodebat.

testem adhuc durissimum, lapidis instar, subtumidum, hinc inde ad attactum exquisitissime dolentem, scrotum circumiectum passim liuidis turgentibusque venis obstructum, ipsum vero aegrum leuiter febrientem deprehendit. Protinus ergo exhibendae cicutae, vt huius vires ipse cognosceret, consilium cepit PRAESES. Quo animo primo bis in die, mane vesperique, quatuor datae sunt pilulae ex cicuta confectae (§. II.), interposito ad potum ordinarium solo dilutiori radicis bardanae decocto, quantum sitis posceret, hauriendo, et imperata simul diaeta cerealibus feminibus adstricta. Nono iam die remittere coepit exquisitus dolor, praesertim intestinus ille, qui funiculum spermaticum torquebat. Tum aucta est cicutae dosis, terque in die sex exhibitae sunt pilulae; vnde decimo tertio die recessit febris, tumor vero scirrhus adhuc idem permanfit. Denuo addita sunt singulis cicutae dosibus quatuor grana, terque datus est per diem semisrupulus, vsusque decocti bardanae continuatus. Inter haec aeger, viribus antea insigniter fractus, sensim recollegit easdem, rediitque, quae recesserat, cibi appetentia, vigorque faciei, qui haectenus cachectico colore erat deturpatus. Lotium in curationis initio crudum iam vndecimo die coctionis signa ostendit, segnisque primo aluus, rhabarbarino puluere inuitanda, deinde a duodecimo die officio suo quotidie satisfecit.

Vicesimo septimo die primum aliqua leuioris mollitiei vestigia sunt animaduersa: vnde inductus PRAESES, vt adiuuaret internum cicutae vsum, extrinsecus adfecto testiculo superimponi curauit emplastrum de cicuta (8), auxitque simul pilularum dosin, vt ter quotidie viginti numero adsumerentur. Pro potu ordinario porro ordinatum est bardanae decoctum, simulque singulis hebdomadibus semel lenissimum quoddam laxans, mercurio dulci auctum, ne in primis viis crudae colligerentur materiae, aegroto est propinatum. His demum rationibus euidenter magis magisque remollitus est, sine contracto pure, scirrhusus testis, et hanc ob causam denuo a quadagesimo tertio die gradatim cicutae dosin imminuit PRAESES, vltimoque curationis tempore, hoc est, octaua circiter hebdomade, bis tantummodo per diem decem data sunt grana. Paulo post perfecte sanus nunc redditus hic aeger, minime a re venerea abhorrens, adolescentulam duxit vxorem, quae vix nouem mensibus peractis eundem laetum hilaremque filioli patrem fecit.

§. IV.

Alio vero haud minus memorabili exemplo constitit optimo PRAESIDI nostro, quantum infit virium cicutae in debellandis grauissimis illis morbis, qui ex pertinaciori-

(8) Nempe illud, quod ex *Württembergicae* paratum ad manus erat, praescriptione *Pharmacopoeae*

oribus viscerum obstructionibus, infarctibus, feirrhisque originem trahunt. Femina, quadraginta trium annorum, temperamenti cholericō-melancholici, vitae sedentariae adsueta, habitus corporis exsuccī atque strictioris, coloris in vultu et vniuerso reliquo corpore cachectici ictericique, vltra duo iam annos pertinacissima febris quartana, mox regulari, mox vero anomala, maxime vexata, per hoc omne tempus insignem omnium vicinorum medicorum, chirurgorum, agyrtarum, muliercularum medentium, et quorumcunque aliorum hominum, qui medicinam profitebantur, numerum in consilium adhibuit, variisque tam opportunis, quam incongruis medicamentis (9) diutissime tractata eo tandem peruenit, vt non solum rebellis febris persisteret, immo in dies acerbior fieret, verum etiam omnia alia corporis negotia in peius ruerent, menses, primo, ab exorsa febre, semestri satis adhuc integri, dein penitus cessarent, aut subinde albo quodam mucosoque profluuiō sui vestigium monstrarent, cibi tolleretur auiditas, et a temperatissimo passu mirifice inflarentur hypochondria, spasmisque torquerentur praecordia, alius raro officio suo rite perfungeretur, moxque esset adstricta, mox autem soluta, subinde

(9) Quippe aliquando ipsum arsenicum, largiori aquae copia solutum, per aliquot hebdomades, suasu agyrtae cuiusdam, in

vsu traxit, inde vero, mox quidem sopita febre, grauissima pedum oedemata cum extrema spirandi difficultate contraxit.

inde feces cineritias fluxas emittens. Iecinoris regio dura erat, distenta, et, si tangeretur, dolebat, difficiliorumque reddebat respirationem, quae ceteroquin a leuissimo corporis motu animaduertebatur anhelosa. Lotio maxima inerat cruditas, color fere aqueus, odor plerumque nullus, nonnunquam superato febrili paroxysmo foetens, sedimentum nullum aut rarissime perparuum, instar nubeculae leuioris. Ad haec vaga pedum accedebant oedemata, euanescencia mox, mox ingrauescentia. Arteriarum pulsationes sibi raro constabant, debiles plerumque, et durante febris paroxysmo paullo celeriores frequentioresque, reliquo omni tempore irregulares atque inaequales. Inter haec vniuersum corpus sensim sensimque macie intabescere coepit. Hoc in illaetabili statu aduocatus optimus PRAESES noster, quum in ipsa febre diuturnum frigus et longe diuturniorem aestum, diebus vero intermediis vesperi plerumque febriculam, sicco calore stipatam, et in seram noctem perdurantem animaduerteteret, hisque phaenomenis reliqua admodum grauia symptomata conferret, pertenuem quidem curationis spem concepit, simul tamen eiusdem, diuinis sub auspiciis, periculum audere secum constituit; id potissimum agi oportere ratus, vt partim viscerum abdominalium, praecipue hepatis, obstructions expediantur, et, si quae essent, eorundem exulcerationes abstergeantur,

tur, partim febris temperandae consilium ineatur, partim denique virium, quae supererant, conseruationi prospiciatur. His ergo indicationibus, quas medici vocant, intentus animo circumspexit, quatenam potissimum medicamenta tam arduo negotio perficiendo satis essent futura. Cicuta, *Störckiano* more praeparata, protinus visa est primae indicationi explendae opportuna: reliquis vero duabus optime inseruire posse corticem Peruuianum et, cuius vsus adhuc inter medicos insolens est minusque cognitus, nucem vomicam (10), non sine idoneis rationibus existimauit PRAESES. Hoc consilio dissoluit in liquoris terrae foliatae tartari vnciis duabus extracti cicutae *Störckiani* semunciam, et singulis diebus mane horis septima et decima, post meridiem vero tertia huius elixirii resoluentis in singulas doses primo triginta guttas aegrotae exhibuit, superbibique iussit semper vnicum vasculum minus, quod potui infusi theae alias inseruire solet, decocti saturatoris, ex scobe nucis vomicae (11) parati.

Ho-

(10) Decimus iam, et quod excurrit, agitur annus, ex quo efficaces aequae, ac salutare huius medicamenti virtutes in variis grauissimis morbis expertus est excellentissimus PRAESES: quam materiam differendi ipse

forfan alio tempore arripiet oportunitatem.

(11) Nempe vncia scobis mensura dimidia communis aquae infunditur, et dein per dimidiam horam lento coquitur igne.

Hora vero quinta, octava, undecimaque vespertina datus est, diebus tantum intermediis, scrupulus pulueris corticis Peruuiani: intermisso ceteroqui, dum quartanae febris paroxysmus vigeat, omni quorumlibet medicamentorum vsu, haustoque solo, quantum luberet, theae infuso. Primis duodeuiginti diebus, quibus aegrotata his remediis fuerat vsa, nulla, nec morbo, nec symptomatibus, accidit mutatio; nisi quod ipsius aegrotatae animus alacrior erectiorque videretur. Undeuicesimo vero die, qui ex intermediis erat alter, vespertina febricula valde remissum habebat calorem adiunctum, cutisque priori tempore siccissima leniter madescere incipiebat. Subsecutus dein altero die quartanae paroxysmus nonnihil quoque praecedentibus mitior videbatur, eodemque superato prima manifesta coctionis in lotio apparebant signa. Quo gratiora vero haec erant phaenomena, eo molestiora aegrae accidebant oedemata, quae maximum in modum tuebant, grauissimaeque vtriusque hypochondrii, praecipue dextri, inflationes. Quoniam vero per vniuersum hoc temporis spatium alui rara erat obstructio, quin potius subinde laxitas, datus est interdum tantummodo rhabarbarinus puluis. In ipsa vero medendi methodo nihil mutauit PRAESES; nisi quod singulas elixirii doses ad sexaginta guttas auctas ordinaret. Praeter haec etiam nunc externum cicutae vsu in auxilium

ad-

adsumsit, et distentae hepatis regioni interdium cataplasma ex cicuta confectum, noctu vero emplastrum ex eadem imponi curavit. Neque spem expectationemque felix fefellit euentus. Quippe vicesimo nono die insigniter non solum remittere coepit durities inflatioque dextri hypochondrii, verum etiam turgidissimi pedum tumores, aucta in dies per diuresin solutione critica, sensim, satis tamen manifeste, detumuerunt. Praeter ea porro omnium reliquorum symptomatum, praesertim difficilioris respirationis, pedetentim mirifica facta est remissio. Sexta hebdomade febriculae illae intermediae penitus cessarunt: primaria vero febris magis magisque deferbuit, eademque absoluta emissum lotium semper magnam sedimenti lutei deposuit copiam. Arteriae in dies magis aequali regularique pulsu micuerunt, pristinumque recuperarunt robur. Ad haec auidior cibi facta aegrota moderatum pastum sine hypochondriorum tulit distensione. Tandem die quinquagesimo quarto primum consuetus quartanae paroxysmus non accessit, sine vlla tamen languoris sensatione. Tum nihilo minus, per duodecim adhuc dies corticis Peruuiani reliquorumque medicamentorum continuatus est vsus; quo facto solae pilulae ex cicuta mane vesperique, quindecim numero, sunt datae. Rediit adeo his auxiliis, adspirante Deo, miserrima

mulier ex incommoda valetudine in sanitatem, et, redeuntibus, circiter decima quarta a curationis per cicutam institutae hebdomade, catameniis, etiam nunc perfecte valet.

§. V.

Tandem, ne dissertationis academicae limites transgrediar, vnicum tantum ad memoriam insignis grauisissimae cuiusdam spinae ventosae, morbi ceteroqui semper fere insanabilis, exemplum adhuc beneuolis cum lectoribus communicabo: vt intelligant, in hoc quoque adeo truculento malo medentis spem haud fefellisse cicutam. Puer, vndecim annorum, a primis fere incunabulis imbecillis atque morbosus, saepenumero variis exanthematibus chronicis cutisque inquinamentis tentatus, parente vtroque dubiae castitatis Venerisque vagae natus, inde a septimo aetatis suae anno in grauissimam atrophiam incidit, lenta febre quotidiana stipatam; cui insignia demum pedum oedemata, maxima abdominis distensio atque durities, superiorum corporis partium tabes, frequens alui laxitas fecumque albicantium spumosarum deiectio, color vniuersi corporis cachecticus, faciesque vere Hippocratica, quae in medicorum scholis dicitur, superuenerunt. Inter haec magna fuit ciborum adsumendorum auiditas; a quibus vero miser puerulus statim exquisitos intestino-

rum

rum sensit dolores, non remittentes prius, quam cibi, saepe numero tantum semidigesti, vna cum reliquis albicantibus et haud raro quasi cineritiis fecibus, denuo per aluum essent reiecti. Inde statim a primis huius pessimi mali initiis plures, vt fit, medici et, quicumque gloriosum hoc nomen nefario ausu prae se ferunt, pharmacopoei, tonsores, sacerdotes, circulatores, bubulci, carnifices, et, quod fascinatum puerum aestimarent parentes, monachi sacrificuli, sacris, quae vocant, missalibus in pueri salutem operati, alique id genus agyrtae in consilium sunt vocati, et, sicuti facile conici potest, morbum, sua natura iam malignum, in dies magis magisque reddiderunt maligniorem atque corruptiorem. Inter ea mala duo effluerant anni, cum his omnibus cruciatibus, puerum confumentibus, nouum, illudque prioribus longe peius, superuenit malum. Primo in dextro brachio, paullo supra olecranium, exquisitissimus aegrum vexauit dolor, humeri os hac parte quasi exedens, adeo continuo cum impetu, vt singulis noctibus a somno vacaret aeger. Successit mox insignis huius ipsius partis tumor, primo albicans, paullo post vero subrufus, tactu durissimus, et naturali adfectae huius partis magnitudine triplo saltem maior. Exostosin hic subfuisse mox docuit euentus. Superiniecta sunt ergo, nescio quorum consilio, cataplasmata, epithemata, fomenta, emplastra, aliaque

id genus topica ; admiffa fuffimigia ; applicatae frictio-
 nes: omnia incassum. Quin potius mox in eiusdem late-
 ris pede paullo infra genu eiusdem indolis tumor est ex-
 ortus. Atque hic etiam omnia, quae commemorauimus
 paullo ante, remedia inania fuerunt atque inefficacia.
 Quae dum aguntur, abiit brachii tumor in pessimum vl-
 cus, foetidam, tenuem, nigricantemque subluuiem stillans.
 Paucarum hebdomadam spatio et in sinistra manu vniuer-
 sum metacarpum similis inexpugnabilis tumor occupauit.
 Paucis, omnes isti tumores, vix octo praeteritis hebdo-
 madibus, in vlcera sunt mutati, adeo, vt tandem ex vn-
 decim fistulis admodum callofis copiosissimus putris ichor
 continuo manaret. Tum vero omnia illa, quae supra
 recensuimus, symptomata in dies facta sunt asperiora;
 vt vix fidem mereatur, quod tamen veritati maxime est
 consentaneum, miserum hunc puerum summe effoetum
 et extrema paedarthrocace confectum non modo tot ma-
 lorum per duo adhuc annos sine congrua medicina adhi-
 bita sustinuisse, verum etiam conualuisse membrorumque
 recuperasse firmitatem. Cum primum huius aegrotantis
 cura optimo PRAESIDI nostro committeretur, negauit
 omnino, in tam grauiissimo malo certam quandam sana-
 tionis spem esse concipiendam. Interim, vt experimen-
 tum fieret curationis, mercurii sublimati vsus, quem
 aliis haud dissimilis generis exemplis saepe numero salu-
 ber-

berrimum iam cognouerat, huic quoque aegro admouere secum constituit. Quo animo, methodo perillustri viri, *Gerardi L. B. de SWIETEN*, praedicti mercurii scrupulum dimidium in aquae cinnamomi vinosae vnciis quinque dissoluit, adfuditque, vt austerum corrigeret saporem, syrapi capillorum Veneris Monspeliensis vnciam, singulisque diebus mane, quo tempore aeger a febre plurimum vacabat, vnam exhibuit drachmam bibendam. Vna porro circiter hora post quinque vel sex vascula minora decocti *PARACELSI* correcti, quod vulgo vocant (12), exhauriri iussit. Horis vero post meridiem secunda, quinta, et octaua vespertina datus est puluis ex duabus partibus sacchari lactis et vna parte pulueris corticis Peruuiani compositus; cuius singulae doses vnius scrupuli pondus aequabant. Potui ordinario destinatae sunt ptisanae auenaceae, hordeaceae, et id genus aliae emollientes leuiterque nutrientes: imperati porro cibi eupepti, mucilaginosi, farinacei, et a nimia visciditate alieni, neque flatibus progignendis apti (13), et potissimum ad vegetabilem victum pertinentes; quod a victu animali

maio-

(12) Formulam huius decocti conficiendi vide in *Ioannis IUNCKERI Conspectu formularum medicarum*, pag. 86.

(13) Proinde saepius vefci oportuit aegrum iusculis, ex ory-

za, hordeo et auena, vtrisque cortice denudatis, Sego Americano, crinno, oryzamino, aliisque huius generis seminibus, quae vulgo culinae destinantur, confectis.

maiores humorum resolutionem putridam atque lentae febrī confirmandae aptissimam metueret orituram PRAES. Viginti septem sub horum remediorum usu effluerunt dies, nec vlla tam ipsi morbo, quam coniunctis symptomatibus accidit mutatio; adeo, ut intra omne hoc tempus nec peiorem aegri valetudinem dixisses, nec meliorem. Interim vicesimo octavo die passim vlcera, (quae omnia tantummodo linteaminibus carptis ficcis deligabantur,) praecipue illud dextri brachii ad olecranon, quod vetustate reliqua superabat, callosi marginis nonnihil deponere et extenuari parum visa sunt; quae callorum exsolutio subsequens quoque diebus successit. Verum enim vero evanuit mox iterum exoptatissimum hoc phaenomenon, vagoque proventu mox accedere, mox discedere est animaduersum. Interim hanc medendi methodum non omnino nihil profuisse, vel inde colligi potuit, quod quadragesimo primo die aegrotus sua sponte cibum, cuius nulla antea erat aviditas, primum poposcit, nec a pastu intestinorum sensit dolores. At enim in hac quantulicunque a morbo leuaminis conditione substitit quasi rebellis hic morbus, nec efficacissimus alioqui mercurius sublimatus, cuius nunc per tres menses usum continuauerat, et fere scrupulum adsumferat aeger, deficere iam visus est. Ergo de alio remedio, vi resolvente maiori praedito, cogitare atque circumspicere

cere oportuit medicum. In mentem venit cicuta, remedium, ei negotio aptum visum perfoluendo, in quo mercurii virtus defecerat (14). Dedit igitur optimus PRAESES noster matutinis, sexta decimaque, horis in singulas doses quinque pilulas deglutiendas, remouitque liquorem mercurialem, reliquorum vero medicamentorum, ante iam commemoratorum, usum adhuc continuari iussit. Sexto iam ab adsumta hac medicina die copiosiori pure ichoroso stillare ulcera coeperunt. Aucta igitur cicutae dosis est per diem semisrupulo, ut nunc quotidie integer scrupulus adsumeretur. Increuit inde quoque puris stillicidium, sensimque denuo callosi ulcerum margines sunt exsoluti, neque postea vnquam sunt renati. Duodeuicesimo die, ex quo cicutam dederat PRAESES, vidit passim in ulceribus in meliorem naturam mutari pus, laudabilemque lentorem et colorem acquirere, minusque habere foetoris. Praeter haec redire visus est viuidior faciei color, magisque in officio suo constans aluus. Ciborum appetitio, quam mercurius iam excitaue- rat, magis adhuc per cicutam est confirmata. Tum inte- stinorum tormina rarissime accesserunt. Tricesimo nono die

(14) Inductus est in hanc sen- *Libello secundo de Cicuta, pag.*
tentiam PRAESES noster per *156. edit. cit.*
illustris STÖRCKII obseruata in

die primum quotidiana lenta febris nullum sui vestigium dedit, nisi quod emissum hoc tempore lotium nonnihil adhuc ruberet, paullo post vero a quiete copiosum deponeret sedimentum. Vires corporis animique sensim quoque redierunt, et omnia illa pessima symptomata, quae supra recensuimus, manifeste remiserunt. Inter haec quoque sensim ipsa, quibus ulcera infidebant, ossa iterum satis conspicue detumuerunt, ipsique canales ulcerosi minores et puri sunt facti. Quam exoptatam mutationem ut adiuuaret PRAESES, aliquoties per diem iniici curauit ulceribus solum cicutae infusum. Hac demum methodo, annuente diuina ope, effectum est, ut omnia ulcera, sine ullo remedio externo, praeter cicutae infusum, septuagesimo quinto die essent consolidata, firmissimisque cicatricibus obducta, reliqua vero valetudo perfecte integerrimeque restituta. Toto, quod adhuc monemus, curationis tempore alius nouies rhabarbarinis leuiter est subducta.

§. VI.

Tantae autem efficacitatis, quae in cicuta nostra latet, seque in omne aeuum ab osorum cauillationibus vindicabit, causas eruere facilius est ausu, quam expeditu. Certum est, quam quod certissimum, actiuam huius plantae partem consistere in spiritu quodam acido volatili,
cum

cum tenerrima quadam parte inflammabili arctissime coniuncto (15); quod, si accurate chemica instituuntur examina, omnibus plantis narcoticis atque virosis inesse deprehenditur. Hoc ergo nomine actiua cicutae pars quodammodo ad dulcificatos ab ipsa natura spiritus acidus peculiaris indolis posset referri. Quanam vero ratione id tam admirabiles edat effectus, et in intimos corporis nostri recessus penetret, me nescire, publice fateor, nec fateri erubesco. Sufficit, tot experimenta, tot tentamina, quibus excellentissima cicutae virtus est adferta, omni aduersariorum exceptione esse maiora. Paucis tantummodo addere liceat, PRAESIDEM nostrum septuaginta quinque aegrotis, singulis vario grauissimo rebellique morbo laborantibus, exhibuisse cicutam: in quibus sexaginta duobus perfectam reddidit sanitatem, tredecim non releuauit, nocuit nemini. At! bone Deus! quantae esset stultitiae, ex omni parte absolutum et panchrestum requirere medicamentum!

SECTIO

D 2

(15) Salia enim alcalina vtriusque generis, quae destillando ex cicuta elicuerunt celeberrimus vir, Robertus LAUGIER et Jacobus WELL, adproducta, quae chemici vocant, non ad educta

pertinent; vti prior ipse recte monuit. Confer Maximiliani LOCHER *Observationes practicas*, pag. 77. seq. et Iosephi QVARIN *Tentamina de Cicuta*, pag. 12. seq.

SECTIO ALTERA,
MERCVRII SVBLIMATI INTERNE SVMTI
OBSERVATAM VIRTVTEM
RECENSENS.

§. VII.

Sed, qui in priori aegroto (§. V.) medentis eluse-
rat spem, *mercurius sublimatus corrosiuus* in plurimis aliis
saluberrima se commendavit efficacitate. Nolite vero ex-
spectare, lectores, de praeclarissimo hoc remedio nimis
longum fore sermonem meum. Quoniam enim nemo
adeo hospes in re medica hodierna esse potest, cui igno-
ta sit, quam perillustri *Gerardo L. B. de SWIETEN* acce-
ptam debemus, mercurii huius ad internos vsus applica-
tio, et ad hoc eadem singulari academico commentario,
facile parabili, ab ipso excellentissimo PRAESIDE nostro
iam ante hos quinque annos luculentissime est descripta
variisque obseruationibus memoratu dignis illustrata (16),
temperamus in praesentia calamo nostro ab ampliori ce-
lebratissimae huius methodi descriptione, vnico tantum
exemplo, eoque admodum memorabili, excellentem hu-
ius medicinae efficaciam breuiter exposituri.

§. VIII.

(16) In *Dissertatione*, alieno
nomine scripta, et Praeside illu-
stri viro, Academiaeque Halen-
sis ornamento, *Andrea Elia Bü-*

CHNERO, defensa, *de Mercurii
sublimati corrosiuu vsu medico in-
terno*; Halae, MDCCCLVIII.

§. VIII.

Puella, vnius et viginti annorum, temperamento cholericò-fanguineo praedita, vitae ceteroquin laboriofae adfuetà, corporis tenerioris quidem, fed fatis bene valentis, anno praeterito, circa aestatis initium ex furtiua Venere, quam cum mafculo, per miasma impurum maxime infecto, ftrenue exercuerat, idem illud diriffimum venenum imbibit, et ea ipfa parte, qua libidinis illecebras liberaliffime perceperat, maligna proluvie ftillare incipit. Protinus, quae confilii copiam faciat, arceffitur anus pharmacutria, medicatasque coquit potiones, quas non folum puellae bibendas propinat, verum etiam auctõribus mali, genitalibus, per fomenta applicat. His artificiis maligna muliebrium fanies mox manare defuit, vt etiam perfecte fanam aegra fe reputaret. At enim vero haud ita multo post grauiiffimis capitis et lumborum doloribus fubito adfcitur adeo atrocibus, vt nec noctu, nec interdium vel breuiffima a cruciatibus effet vacuitas. Inter haec frequentes oculorum fcintillationes priori fuperueniunt malo, cum vertigine paene caduca faepenumero coniunctae. Inde fenfim oculorum acies fit hebetior, et tandem haud deformem ceteroqui puellam perfecta amaurofis inuadit. Tanta calamitate, tantisque aerumnis paene extabuit puella omnium miferiffima, praefertim cum omnes, quos confuluerat, hoc malum medelam admitte-

re negarent. Tandem etiam consultus hac de re *PRAESES*, rarissimi omnino esse exempli adfirmavit, si qui hoc oculorum vitio liberentur; nihil tamen inexpertum esse omittendum, quod inferuire possit medelae. Hoc itaque consilio aegrotae exhibuit liquorem istum mercurialem, quem iam supra descripsimus (§. V.) vesperi, dum cubitum iret, bibendum. Sub initium tentandae curationis vnica tantum drachma definita fuit dosis. Nouem circiter diebus peractis aegra de maximis in lumbari inguinallique regione doloribus vehementissime est conquesta; quam ob causam accuratius inquirens *PRAESES* intellexit omnia ea, quae ad inquinamenti venerei complicationem cum praesente morbo pertinerent; rescivit quoque hos novos inter dolores apparuisse denuo in genitalibus acre quoddam stillicidium, illi haud disimile, quod a prima concepta labe experta erat. His cognitis eo maiorem felicitis curationis spem concepit optimus *PRAESES*, et simul singulas liquoris mercurialis doses semidrachma auxit, bibendumque addidit, quotiescunque aegrota vellet, bardanae decoctum. Diaeta constituta est temperatissima, eupepta, et demulcens. Interpositum porro interdum est medicamentum purgans. Decimo nono curationis die catamenia ex ordine accesserunt. Subsecutus dein haec fluor albus copiosissimus est et quasi profusus; et, licet interdum nonnihil remitteret, mox tamen, quasi

fi

si torrens, iterum prorupit. Quinta hebdomade videbatur sibi aegra vidisse aliquid tanquam per crepusculum. Neque falsa haec fuit opinio. Sub continuato enim praedictorum medicamentorum usu in dies magis magisque, quae Dei fuit gratia, rediit oculorum acies, ut decima quarta hebdomade non solum perfecte atque distincte videret, verum etiam omnibus reliquis coniunctis malis simul prorsus liberaretur.

SECTIO VLTIMA

AD

PHOSPHORI VSVM INTERNVM SPECTANS.

§. IX.

Supereft, ut, promissi memores, PHOSPHORI VRINARIJ vsum medicum internum aliqua etiam obseruatione memorabili illustremus. Quod enim ad insignis efficacitatis, quae Phosphoro inest, rationes indagandas attinet, in hoc quoque negotio operae laborisque compendium nobis fecit excellentissimus PRAESES, qui, quod iam ex decem abhinc annis praestantissimo hoc remedio in exercitio suo medico vtitur, eiusdem vires quoque in singulari dissertatione sollemni, alius nomine con-

scri-

scripta (17), ante tres et quod excurrit, annos ad idoneas reuocauit rationes, fasciculumque addidit obseruationum, illustrandae huic materiae opportunarum, partim a se institutarum, partim ab amicis cum eodem communicatarum. In meos praesentes vsus selegi ergo vnicum tantummodo exemplum, ex quo abunde satis intelligi poterit, haud vulgaris virtutis in ipsis desperatis affectibus hoc esse remedium, ideoque frequentiori medicorum, suam artem facientium, vsui maximopere commendandum.

§. X.

Puellula, quinque annos nata, generoso stemmate orta, animi corporisque tenerioris, primum, ex quo hanc lucem viderat, annum satis exoptata valetudine transegit. Vix vero hunc aetatis suae terminum transgressa erat, cum subito, ineunte aestate, inter vehemētissimos intestinorum cruciatus, vti ex continuo admotis abdomini manibus colligi potuit, subito rigit, tetano correpta. Remittente rigore emissus est per aluum paucus, sed purus, sanguis. Tribus horis post denuo rigor accessit, grauior priori diuturniorque. Proxima nocte infans, sine manifesto dolore, plus quam dimidiam sangu-

(17) Prodiit haec, illustri Prae- phori vrinarii vsum internum
fide, Andrea Elia BÜCHNERO, medicum pertinentia, inscripta,
defensa, et, Spicilegia ad Phos- Halae, cloloCCLX.


guinis puri mensuram aluo eiecit. Quo facto nullus rediit rigor, sensimque remisit sanguinolenta alui deiectio, fecesque conuenienti naturae ordine sunt reiectae. Ex quo tempore per tres annos integros sic satis bene valuit. Media praeteriti anni aestate variolis veris, bene in suppurationem conuersis et exsiccatis, laborauit, et sine magna conualuit difficultate. Octobri eiusdem anni mense noua quaedam accesit febris variolosa, vera, (si praesenti medico fides est habenda,) cum aequae laudabili variolarum suppuratione. Cum defluerent siccae variolae, diarrhoea mucosa primum, mox chylosa, cum semidigestorum ciborum reiectione coniuncta, accesit. Obtemperauit quidem hoc malum datis, nescio quibus, remediis, sed relictis simul est extrema virium deiectio, nulla dein plurimorum medicorum arte depellenda. Hic status perstitit vsque ad initium horni veris. Tum subito nouus tetani insultus puellam inuasit: quo superato fixus in faciei dextro latere spasmus et leuior quaedam dextri pedis paralytis superfuit. Hinc ortus perpetuus, quem medici vocant, dextri oculi strabismus cum palpebrarum aliqua contractione; hinc quoque productus perpetuus, versus dextrum latus, spasmus cynicus cum loquendi difficultate; hinc retractio aliqua dextri pedis cum tanta infirmitate, vt ire nequiret: haec omnia, inquam, plurimum praestantissimorum medicorum diligentiam artemque per tres circiter menses, sed frustra, exercuerunt. Ceterum infans cibos bene appetiit, somno quieto vsa est, naturalibusque excretionibus recte et naturae conuenienter purgata. Perscripta omnis haec morbi historia

DE M nostrum induxit, vt debilitato inprimis neruorum systemati aptis remediis prospici ante omnia oportere existimaret. Spem ergo suam in Phosphoro, cuius efficacitatem saepius iam in huius generis malis cognouerat, posuit, eiusque rei periculum facere constituit secum. Proinde duodecim frustula Phosphori, singula semigrani pondus exaequantia, in vitro, aqua pleno, transmisit, iussitque simul, singulis diebus vesperi vnicam huius remedii particulam conseruae rosarum inuolui, et puellae exhiberi. Mane vero adiunxit infusum theeforme, ex herbis analeptis, neruinis, atque traumaticis confectum. Longe supra omnem spem Phosphori efficax fuit virtus. Septimo enim iam die remiserunt nonnihil faciei spasmi, et pes quoque infirmus paullo confirmatior est visus. Duodecim praeterlapsis diebus denuo transmissae sunt duodecim huius medicinae particulae. Inde intra trium circiter hebdomadam spatium, quater tantum interposito leni laxante, adeo bene conualuit infans, vt non solum strabismus tolleretur cynicusque spasmus, verum etiam recte loqueretur expediteque ambularet. Qui commodae valetudinis status, quae Dei est gratia, etiam nunc perdurat. Sed haec fatis. Optamus tantummodo precamurque ex animo, vt attentis medicis sub eiusmodi efficacissimorum medicamentorum vsu non promiscue et inconsiderate agant, sed omnia circumstantia atque superuenientia phaenomena accurato iudicio ponderent; memores semper diuini illius moniti, quod est apud poëtam:

Prudentum rectorix ratio est, at opinio vulgi.

MARCELLVS PALINGENIVS.





PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE
H V D E M A N N O S V O

S. P. D.

PRAESES.

*E*go vero, AMICISSIME HVDEMANNE, dum ambo nos ex illustri hac bonarum artium scientiarumque sede, alma Iulia Carolina, discessum paramus, sarcinasque colligimus, vix tantum otii mihi relictum video, ut respirare libere, nedum epistolio ad TE conscribendo operam dare possim. Vicit tamen amor in TE meus omnes has infinitarum occupationum difficultates, nec prolixae meae erga TE voluntati temperare potui, quin publicum quoddam incredibilis TVI ardoris accensique studii, quo saluberrimas medicinae disciplinas coluisti, exstaret testimonium; quippe quod omnium accommodatius ad veritatem fideque dignius erit, cum fere perpetuus studiorum TVORVM medicorum testis fuerim adiutorque. Fieri autem omnino non potuit non, ut in communi scientia nostra eximios faceres progressus; quandoquidem non cruda, sed humanitatis, et philosophiae, immo et ipsarum sacrarum litterarum disciplinis exculta et velut maturata studia ad medicinam adferebas. Ea enim TIBI contigit felicitas, HVDEMANNE OPTIME, ut optimis nascereris paren-

tibus; quorum summa in eo constitit cura, ne quidquam
omitteretur, quod animo TVO, tam vero religionis cultu
virtutisque amore, quam bonis litteris scientiisque imbuen-
do, quomodocunque inservire possit. Hoc consilio vir consul-
tissimus sanctiorique poësi clarissimus, parens TVVS indulgen-
tissimus, Ludouicus Fridericus HVDEMANNVS, iuris
utriusque Doct̃or celeberrimus, iam sexto aetatis TVAE an-
no domesticae TE tradidit disciplinae primo Ioannis Andreae
MEYERI, dein Christophori Godofredi IACOBI, et Io-
annis denique Guilielmi LENSCHII, singulorum
virorum, humanitatis studiis cultissimorum, et in TE sum-
ma cum fide curaue educando maxime sollicitorum; quo-
rum innumera in TE merita diuinum quoque numen variis
conspicuis muneribus locupletissime repperit. Tum demum,
ex domestica hac institutione et a paternis laribus dimissus,
TVIS votis precibusque id dederunt optimi TVI parentes, vt
illustre illud, quod Altonauiae floret, lyceum adire TIBI li-
ceret. Atque in hac non modo omnium litterarum, quae hu-
manitatis nomen prae se ferunt, sed etiam sublimiorum scien-
tiarum officina, quantum in TE fuit, eximie in litteris pro-
fecisti. Quippe virum summe venerabilem eruditissimumque,
STICHTIVM, in hebraicis, graecis, syriacis, arabicis,
rabbiniisque, nec non in theologia dogmatica; virum illu-
strem atque experientissimum, MATERNVM de CILANO,
in physicis et antiquitatibus romanis; virum maxime vene-
randum atque doct̃issimum, PROFIVM, in logicis, meta-
physicis, mathematicisque; virum excellentissimum consul-
tissi-

tissimumque, MEYCKENIVM, in iure naturae et historia
uniuersali; virum excellentissimum eruditissimumque, HEN-
RICI, in humanioribus litteris; et virum denique summe ve-
nerabilem celeberrimumque, SCHÜTZIVM in historia dani-
ca et ecclesiastica habuisti praeceptores, et ex eruditissimis
singulorum acroasibus insignia eruditionis TVAE cepisti in-
crementa. Post aliquot deinde annos, ex illustri hoc lyceo
honorifice discedens, non solum publica oratione vale dixisti,
sed etiam, ut non sine profectuum TVORVM acquisite documentum
abires, publicam dissertationem de cultu Saxo-
rum, priscis Danis atque Germanis sollempni, praeside vi-
ro maxime venerando, SCHÜTZIO, masculè defendisti.
Tum in hanc almam musarum sedem, IULIAM CAROLI-
NAM, bene eximieque ad sublimiores scientias praeparatus,
accedebas, sacrarum litterarum sollertissimus cultor futu-
rus. Quo nomine eruditissimis solidissimisque acroasibus,
quibus vir summe venerabilis longeque celeberrimus, SCHV-
BERTVS noster, theologiam theticam et antitheticam, item-
que moralem, nec non historiam ecclesiasticam, porro herme-
neuticam sacram, homiliam, theologiamque reuelatam ex-
posuit, sedulo interfuisti. At enim vero his TVIS curis stu-
diisque contracta corporis imbecillitas effecit, ut ex sacro
hoc stadio discederes, et in medicum eadem cum discendi cu-
pitudine transfires. Profecisti hic ex viri illustris experien-
tissimique, Philippi Conradi FABRICII, ordinis nostri Se-
nioris atque Decani spectabilis, praelectionibus eruditissimis
in Philosophiam botanicam, et demonstrationibus botanicis;

nec non ex viri excellentissimi experientissimique, Ioannis Traugott ADOLPH, absolutissimis acroasibus demonstrationibusque anatomicis omnibus, chirurgicis, obstetriciisque. Me vero in physiologicis, pathologicis, therapeuticis, chemicis, medicina forensi, scientia simplicium et compositorum medicamentorum, nec non methodo conscribendi ex his formulas tam publicum, quam etiam singularem et priuatum selegisti ducem praeceptoremque, et incredibili cum studio et nunquam interrupta diligentia audiuisti. Tanto ergo labore, tantoque studio eximios in salutari arte profectus adeptus, ad ordinem nostrum accessisti, rogans, ut, superatis consuetis examinibus, ad summos in medicina honores, quos omnino optime promeritus es, admittereris. Quibus votis TVIS annuit ordo noster, et nunc in eo est, ut praedicta TE dignitate ornet, simul ac postremum illud eruditionis TVAE specimen editum, et conscripta a TE dissertatio haec me praeside erit defensa. Quo in certamine nullum quoque est dubium, quin virum TE sis praestiturus. Nihil igitur superest, quam ut TIBI novos hos honores, OPTIMIS PARENTIBVS filium tam eximiis animi dotibus praeditum, patriaeque medicum doctissimum et, ut spero, felicissimum ex animo gratuler, mihi vero, quippe TVI amantissimo, conseruandam et imposterum amicitiam TVAM gratamque mei memoriam exoptem. Vale. Dab. in Iulia Carolina, d. XXVI.

Septembr. cIo Iccc LXIII.



NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

DN. CANDIDATO HVDEMANNO

S. P. D.

D. IOANNES TRAVGOTT ADOLPH


ANAT. ET CHIR. P.

*Quantum quidem intersit, illotis, quod dicitur, manibus tractentur studia seueriora, an ad haec demum accedatur, postquam literis humanioribus atque in primis Philosophiae praeceptis ingenium probe fuerit excultum, istud toto die exemplis in utramque partem plurimis cognoscitur vix alibi luculentius, quam in Academiis, ubi auditorum primo industriam et assiduitatem contueri, dein eorumdem eruditionem tentamine vivium facto indagare licet. Namque multo ac improbo labore difficilius lentiusque ad quamdam suae
artis*

artis facultatem eluctari spectantur, quibus curta literarum
primarum supellex. Et, dum memoriter magis ediscunt do-
ctoris sui praecepta, caecam sane suescunt seruire seruitutem
Empiriae, quae tamen ad quotidie in arte obuia vix ac ne
vix quidem suffecerit. Admirabiliter vero progrediuntur,
Musas suauiores qui sibi adducunt comites, et scientiam bre-
ui consequuntur, quae ad subita, minus vulgaria ac proprio
Marte expugnanda instructos atque armatos ipsos sola red-
dit. *Decori TVO, NOBILISSIME DOMINE CANDIDA-
TE, dicta accipias. Qui bene praeparatus singulari industria
artis salutaris honores biennio TIBI maturauisti. Eadem
via ulterius procedere perges. Utque pergenti prospera quae-
uis et honorifica laete eueniant, pro amore in TE meo, im-
pensissime voueo. Vale. Dabam Helmstadii, Anno*

c1713ccLXIII. die XXVI Septembris.





VIRO
PRAENOBILISSIMO, DOCTISSIMO
HONORVM DOCTORALIVM CANDIDATO

DIGNISSIMO

AMICO SVO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

IOANNES PHILIPPVS DV ROI,
M. C. et Societ. teuton. ducal. membr. ord.
Opp.

Ab eo tempore, quo in alma hac Julia Carolina arti salutari TE dedisti, semper de insigni TVA humanitate, diligentia, et in medicinae partibus peritia sum admiratus. Admiratus sum de his virtutibus, et cum mihi occasio data fuerit, TECUM versari, amicitias iunxi. Actum sane agerem, si virtutes TVAS atque in medicina profectus recenserem, cum TE Illustri et gratioso medicorum ordini in examinibus solennibus et consuetis ita praestiteris atque probaveris, ut in laudes TVAS excurrere supervacaneum existimem. Gratulor TIBI de cursu studiorum felicissime absoluto. Gratulor TIBI de laurea doctorali mox conferenda, et Deum praepotentem supplex veneror, ut in omnibus, quaecunque etiam in posterum suscipies, faustos TIBI largire velit successus, et TE, VIR PRAENOBILISSIME, Amice aestumatissime, per longam adhuc annorum seriem salvum praestet atque incolumem. Vale, mihi que fave. Dab. Helmstadii d. XXV. Sept. 1713.



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
MEDICINAE CANDIDATO
AD SVMMOS ARTIS SALVTARIS HONORES ACCESSVRO
GEORGIO HENRICO HVDEMANN,
S. P. D.

D. V. NÜSPERLIN, Holfatus.
Med. Cult. Opp.

*Si quid unquam vel ipsi TIBI AMICORVM OPTIME, honori, vel TVI
amantibus voluptati fuit, hoc certe eruditionis TVAE specimen tanto
TE nobis cariorem reddidit, quanto certius in eo ipse TE superasti
evidentissime. Mirandum sane est, tantos TE intra tam breue tem-
poris spatium in arte salutari progressus fecisse; quanti, si medicinam
facientium vel exercitatissimo contigissent, non possent non summo
ei ornamento esse. Quod cum paulo accuratius considero, tum qui-
dem, nescio quid gaudii voluptatisve sentire mihi videor: sive, quod
insignem meum in TE amorem inde auctum intelligo, sive, quod
scientiae nostrae rite perdiscendae exemplum nobis proposuisti imitatu
dignissimum. Indicat enim hic, quem laudo, libellus indefessum au-
ctoris sui in re salutari indaganda studium; TVVM, VIR OPTIME,
denotat in arte nostra sedulo tractanda laborem, sollertiam, operam,
diligentiam, sudores denique, in aegrotantium TIBI futurorum com-
modum, haud frustra fusos, vigiliasque: quae omnia, quanto per
se amabilia sunt, tanto TE digniorem iis quidem honoribus effici-
unt, ad quos hodiernus ipse dieste invitatur. Age, itaque, CANDI-
DATE DOCTISSIME, conscende Cathedram, et si talem TE ibi gesseris
defensorem veritatis, qualem TE lectores nos TVI scriptorem admi-
ramur; quid restat, nisi ut laboris TVI praemia et ea tum quidem
ornamenta capias, quae scientiae nostrae cultoribus constituta am-
plissima sunt. In quo, etsi amplissimum ad scribendum mihi argu-
mentum offerri intelligo, tamen, ne forte TIBI, amicorum omnium
modestissime, TVA ipsius laude molestus sim, his paucis me expediam.
Gratulor summa de summis scientiae nostrae honoribus merita TVA
primum TIBI, gratulor eadem deinde pariter et in primis Holfatiae
nostrae aegrotantibus TVIS, gratulor postremo mirificum, quod inde
percipio, gaudium ipse mihi. Vale. Dab. Elmstadii d. XXIII.
m. Septembr. MDCCLXIII.*



Wo blinder Wahn und leerer Wind
Die Leiter feichter Aerzte sind;
Da trift ihr fiecher Nebenbürger
Die Räuber feiner Wohlfart an,
Und uns verrathen fich sodann
Die ungestraften Menschenwürger.

Allein, gestärkter Einsicht Kraft,
Bedachter Muth, und Wissenschaft,
Verdienter Aerzte sichere Zeichen,
Erheben keinen Charlatan,
Erheben Dich, mein Gudemann,
Und werthe wen'ge, die Dir gleichen.

Entfernt von heuchlerischer List,
Die Deiner Tugend Feindinn ist,
Entschließ' ich mich, Dein Lob zu schweigen;
Es sag' es jedem dieser Tag,
Denn da sind Worte nur zu schwach,
Wo sich die Würden selber zeigen.

Die winkt die Ehre, folg ihr, Freund!
Ihr Glanz mit wahrem Werth vereint,
Schmückt keine Thoren, schmückt Verdienste.
Dich führe diese Gönnerin
Zu unsers Holsteins Fluren hin,
Dort blüht der Lorbeer, wie die Künste.

Dem Hochedelgebahrnen und Hochgelahrten Herrn
Georg Heinrich Hudemann,
Der Heilungskunst würdigen Kandidaten,

widmet dieses in Ergebenheit

Dessen

Helmst. d. 22 Sept.
1763.

aufrichtigster Freund und Diener

M. Jacobson

Der Arzney-Kunst Bestiessener Opp.



VIRO
PRAENOBILISSIMO, DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO
AMICORVM LONGE SVAVISSIMO

GEORGIO HENRICO HVDEMANN,

SVM MOS

IN ARTE SALVTARI HONORES CAPESENTI

S. P. D.

BERNHARDVS HERMANNVS MATTHAEI,

Bremenſis.

A. S. Studioſus Opp.

*A*dmodum lactus a TE, AMICE PERDILECTE, ad hunc ſolemneſſimum actum diſputatorium provocatus, opponendi munus, a TE benevole in me collatum, ſuſcepi. Certe hodie novum animi TVI erga me optimo affecti, amicitiaeque inter nos vigentis documentum dedisti; nec quisquam est, qui non, quam arctis iungamur amicitiae vinculis, et quanto TV me amore amplectaris, ſatis ſuperque perſpici poteſt. Quamdiu in hac bonarum artium ſede et domicilio una verſati ſumus, quem TIBI in amicitia praeponerem, et a quo verioreſſimam re expertus ſim amicitiam, fuiſſe neminem, mihi eſt fatendum. Sed quid haec pluribus? Brevitati ſtudent ad rem ipſam veniam. Occaſionem iam dudum exoptatam TIBI animum meum bene in TE affectum oſtendendi naſtus: non poſſum non, quin hodierno die epiſtolam hanc gratulatoriam diſſertationi TVAE doctiſſimae adiiciam, votorumque meorum, quae pro TE TVAque felicitate ad Deum ter optimi ter-

que maximum sincero pectore fundo, TE faciam certiore. Cumque diligentia TVA insatiabili nec unquam interrupta brevi temporis spatio tantos in scientia medica fecisti progressus, ut iure meritoque summorum in arte salutarum honorum capessendorum Candidatus aestimatus sis dignissimus; non possum non faustissima quaevis mihi de TE polliceri, qua spe ne defrauder, supremum numen supplicibus precibus adoro. Pro benevola igitur TVA ad hunc aetum disputatorium invitatione gratias TIBI persolvo habeoque quas possum maximas. Gratulor TIBI, Amice suavissime, de summis maximisque hodie in TE conferendis honoribus! Gratulor TIBI de studiis hac in Academia felicissime optimoque cum eventu finitis! Fausta TIBI sint omnia, quae, ad TVAM aliorumque hominum sanitatem tam conservandam, quam amissam restaurandam tentas. Optime omnes conatus TVI TIBI succedant, id quod a Deo ter optimo maximo continuis precibus meis contendo. O! laetum diem, o! horam beatam! Sic diu vitam age felicissimam, meque, quippe quem adhuc amore TVO TVAQUE consuetudine dignatus es, porro amore TVO dignum existima. Vale mihi que fave. Dabam Helmstadii ad d. XXIV. mens. Sept. c1713CCLXIII.



O D E

Jam TE, TVORVM deliciae, euehunt,
Curis remotis atque laboribus,
Nunc ad capeffendos honores
Emeritos, HVDEMANNE, Mufae.

TE non parentum vota precantium
Frustra, morantur; cumque fcientiae
Coeleftis infignis, iuberent,
Miffus vt in patriam redires

Praeco: Haefitantem, ne rueres, nouis
Sagax Apollo viribus impulit,
Depulfo et Aftraeae furore,
Victor, agens celeres triumphos,

TE intaminatum conftituit decus
Natoque dignum. Prouidus incipe
Ridere nunc, arceque lethum,
Ne fruatur innocuis ruinas.

Quod.

Quodsi leuarint haec medicamina

Parata curis non leuibus TVIS;

Galenus iuuictus redibis

In patriam patre digna proles.

*VIRO amplissimo doctissimo atque optimo,
GEORGIO HENRICO HVDE-
MANNO, summos in arte saluta-
ri honores capessenti, tanquam pieta-
tis ac amicitiae integerrimae monu-
mentum haec posuerunt*

LVDOV. CAR. SMID, SS. Th. Cult. Holfat.

JO. CHRISTIAN. KÖNIG, SS. Th. Cult. Slesvic.

JO. CHRISTIAN. PETERSEN, SS. Th. Cult. Holfat.

JO. CHRISTIAN. DIETER. ECKHOFF, SS. Th. C. Holf.

HANS GROTH, SS. Th. Cult. Holfat.

